

INCIPIT HISTORIA  
EDITA PER MICHAM MA-  
DII DE BARBAZANIS, DE SPALETO,  
DE GESTIS ROMANORVM IMPERAT. ET SUMM.  
PONTIFICVM PARS SECUNDÆ PARTIS DE ANNO  
DOMINI MCCXC.

## C A P. I.

## De Papa Nicolao. IV.

**N**icolaus quartus PP. dictus frater Hier. Episcopus Prænestinus natus de Civitate Esculana Marchia in Pam eligitur A. D. MCCXC. Acon. Civ. famola in partibus ultramarinis à Soldano Bab. & à Saracenis fuit capta, & destruxta, ubi tam mares, quam foeminæ per Saracenos capti & in servitutem sunt redacti. Eodem tempore Rex Vladis Vng. à Cumanis occiditur, & Andreas de Morefinis de Venet. per matrem in Regem Vng. coronatur. Iste PP. Romæ moritur, & in Basilica Sancti Petri sepelitur.

## C A P. II.

## De PP. Celestino. V.

**C**elestinus PP. V. Ananias eligitur in PP. dictus frater Petrus de Moron. de Monte Macellano, qui fuit Aquilæ per Dominum Vgonem Cardinalem Ostiensem Episcopum coronatus, & mansit in Papatu per tres menses. Postea egrediens de Aquila abiit Neapolim, ibique coram Card. Papatum renuit volens redire ad cellam suam, unde sumptus fuerat, & tunc Carolus Martellus in R. Vng. coronatur.

## C A P. III.

## De PP. Bonifacio. VIII.

**B**onifacius octavus Neapoli eligitur in Pam dictus Benedictus Gaytanus de Can-

pania. Iste fecit sextum lib. in decretalibus, & multa alia bona ordinavit. Quo tempore Comes Guydo de Montefeltro contemnens dignitates hujus mundi abiit, & sumpsit habitum religionis Sancti Francisci, & in ordine minorum finem suum laudabilem vitæ terminavit. Iste Bonifacius Papa, D. Iacobum, & Petrum de Columna Cardinales de Cardinalatu depositus, & excommunicans eos, & omnes de stirpe eorum fecitque Roma militias, & fecit capi D. Celestimum Papam, & mitti in exilium ad quoddam Castrum suum ubi finem vitæ suæ ipse terminavit, & Carolus Martellus Primog. R. Sicil. migravit ex hoc seculo cum uxore sua filia Regis Alemaniae. Item ordinavit plures Cardinales vid. D. Nicolaum Mag. ordinis frater Prædic. & D. Fr. Gentilem ord. Minorum, & duos suos Neptotes A. D. MCCCI mense Aug. tempore Bonif. Papæ D. Carolus Neps Caroli R. Sic. per mare cum galeis Spaletum applicuit, ubi per mensem, velsi & duos stetit. Egrediensque de Civ. Spalat. in Comitatu Pauli Bani versus Vng. ad usurpadum Regnum prædictum de manu R. Andreæ venit Sagrabiam, & ibi in manibus Mag. Hugrini traditur. Audiens verò Andreas Budæ Regem Carolum venisse ad occupandum Regnum prædictum moritur, & ibidem sepelitur honorificè. Eodem anno magna indulgentia anni Iubilei Romæ per Papam prædictum constituta fuit. Per idem tempus D. Nicolaus Card. pro Legato in Vng. mittitur causa Coronationis Regis Caroli, qui multis constitutiones in Vng. fecit. Tunc Rex Boemiae per suum familiarē occiditur A. D. MCCXCVIII. mens Septemb. die octavo intrante apud Insulam Corfica Veneti cum LXX. Galeis à LX. Galeis Ianuensium fuerunt debellati, & devicti. Per idem tempus D. Papa Bonifacius Ananias à Familia R. Franciæ, & Columnensis fuit captus, & D. electus Strigonien. Gregorius nomine occiditur à filiis Nicolai de Columna, quem Papam populus Ananias, & gens ipsius Civ. deidentes de manibus prædicatorum miserunt cum Romam, ibi moritur viliter, & sepelitur in Basilica S. Petri.

CAP.

## C A P. IV.

## De PP. Benedicto. XI.

**B**enedictus XI. Romæ eligitur in Papam di-  
betus frater Nicolaus de Trivisia. Iste absolu-  
vit omnes de Columna ab excommunicatione  
restituens Card. Iacobum, & Petrum in suo gra-  
du Card. Perusii moritur in miraculis corruscando,  
ordinansque Augustinum de Tragurio  
Episcopum Sagrabiaæ : Iste etiam consensit,  
quod militias haberet Commune Romanorum  
& teneret eas, quas tenebant nepotes Bo-  
nifacii Papæ. Illisque diebus Marchio nepos  
Bonifacii PP. à Columnensibus occiditur.

## C A P. V.

## De PP. Clemente

**C**lemens V. Perusii in Papam eligitur, iste  
fuit Archiepiscopus Burgudalensis, iste  
destruxit Ordinem Templariorum faciens capi  
Magistrum, & plures Templarios à Rege Francie.  
Iste misit D. fratrem Gentilem in Vngariam  
pro Legato causa coronationis Regis Caroli  
Vng. A.D. MCCCVIII. mense Junii D. Legatus  
Gentilis intravit Spaletum, ubi ab omnibus de  
Civ. fuit receptus honorificè, postea abiit in  
Vng. & fecit coronari Regem Carolum. Per  
idem tempus D. Robertus Alemaniae Rex per  
suum Baronem occiditur, & Rex Carolus Sici-  
liae obiit ad Christum, & Robertus ejus filius  
per Papam Clem. Burgundiaæ in R. coronatur:  
Per idem tempus Veneti cœperunt Civ. Ferraria  
, ubi maximum contrarium habuerunt D.  
Card. Pelagiam. & Bononienses, per quos dicta  
Civitas fuit recuperata. Per idem tempus Vene-  
ti inter se habuerunt maximum schisma, & dis-  
sensionem sic quod omnes de domo Quirino-  
rum Theupuli, & Baduarii Guelphi volentes  
se adhærere præcepto Papæ, & Legati Pelegruæ  
hostiliter cum adjutorio plurimorum de Venetiis,  
& populi processerunt contra D. Petrum  
olim Ducem Venet. intendendo eum deponere  
de Ducatu Venet. sic quod audiens hæc omnia  
D. Dux Petrus obviavit eis cum Nobilibus de  
consilio, & gente quam habebat in Palatio Com-  
munis Venet. & de Clogia, & prævaluit illos de  
Quirino, ita quod in platea S. Martii occiditur  
D. Marcus Quirinus cum filio Martii, & quam-  
plures alii, & sic omnes fugam arripuerunt, &  
sunt pulsæ de Civ. Ven. circa LX. Nobiles, & mil-  
iti ad confines de Quirinis, Theupoli, Ba-  
duarius, Daurius, & alii plures eis con-


sentientes : Sequenti verò die D. Badu-  
rius Baduarii miles, & duo milites de Flo-  
rentia decapitantur apud Columnam supra  
Canale existentem per Venetos anno D.  
MCCCXIII. Restitutum fuit Officium  
Venetis per Papam Clem. recipiendo ab eis  
ea de causa 100. mil. & 12. duc. auri. A.D.  
MCCCXI.

## C A P. VI.

## De Henrico Imp. Rom.

**H**enricus Comes Sueviae per electores,  
Alemaniae in Imp. Rom. eligitur, qui  
descendens per Lombardiam venit Medio-  
lanum, & ibi fecit se coronari, & cœpit  
Brixiam destruens muros Civ. ipsos per ter-  
ram effundendo, & omnes Civitates Lombard.  
ad fidelitatem, & præcepta convo-  
cavit, & intravit sequenti die Civ. ubi à D.  
Episcopo Ostiensi leg. D. Papæ in Eccle-  
sia S. Ioannis coronatur, & eodem anno  
D. Rizzardus Tarvisii de Camino occiditur  
A. D. MCCCXI. Mense Martii Civ. Iadræ  
à Dominio Ven. fuit rebellata subjiciens se  
Dominio Pauli Bani, & suorum filiorum,  
& anno sequenti mense Maji Paulus Banus  
Nob. Croat. obiit ad Christum, & Mladi-  
nus ejus filius in Banum ordinatur. Eo-  
dem tempore Papa Clem. ordinavit apud  
Viennam Burgundiaæ Synodum, & Conci-  
lium Episcoporum & multorum Comitum,  
& Barorum, ibi D. R. Francia interfuit, &  
alii Barones plures, & Marchiones, in quo  
consilio plura ordinavit, destruxit primò  
ordinem Templariorum, dans bona, &  
possessiones hospitali S. Ioannis, & ordi-  
navit palliæ ultra mare ad quinque annos  
excommunicans omnes, qui occupant bona  
ecclesiæ. D. verò Imp. egrediens de Urbe  
Roma abiit & obsedit Perusium, destruendo o-  
mnia Castra, & villas, postea obsedit Florenti-  
am cum maximo exercitu, A. D. MCCCXIII,  
mense Junii Dn. Almasius, & Bompaon de Ca-  
talonia milites stipendiarii pro communitate  
Ven. in lignis Ven. cum mille militibus benè  
armatus, & mille peditibus ad lanceas longas, &  
mille balestrariis associatis ipsis XV. galeis mil-  
lis per Commune Ven. in obsidium Iaderen-  
tium applicuerunt ad Insulam Nonæ, quæ  
vocatur Vra, & ibi descendendo de lignis in  
terram, manferunt per aliquot dies consumatis  
que octo diebus recesserunt de dicta Insula ad  
terram, facientes viam versus Civ. Iadræ, sine  
contradictione D. Bani, & Iadræ. & dum perve-  
nerunt ad locum prope Civ. Iadræ ubi ab anti-  
quo Civ. Iadræ fuit super fontanellam ibi se col-  
locarunt facientes in circuitu se Civitatem de li-  
gnam

gnaminibus cum turribus, & Maceriis de Lapidibus. Audiens verò Banus Mladenus ipsos Catalanos venisse, & habuisse magnum exercitum, fecit congregari exercitum Sclavorum & Teutonicorum tam per stipendium, quam per amicitiam, & congregato exercitu venit cum exercitu ante Civit. Iadiz supra barca-neum ad Ecclesiam S. Iacobi prope exercitum Catalanorum per duo millaria distans ab ipsis. Tandem vero prædicti Catalani tanquam proditores completo termino trium mensium, & habito stipendio à Venetis pro tribus mensibus declinaverunt se ad amicitiam, & societatem D. Bani Mladenii, & Iadrensiam, primo ipsis promissis quinque millibus Florenorum auri, & datis, relinquentes Venetos, & stipendium eorum, propterea sicut Deo placuit, convocatis galeis Ven. & Nob. qui fuerant in dictis galeis per D. Banum Mladenum, & D. Almasium pax, & concordium inter se ipsos Ven. & Iadrenses firmatum est, & compositum, in hunc modum vid. quod ipsi Iad. perpetuo habebunt Dominium, & Regimen de Venet. nam ipsi debent eligere Comitem, & Dux confirmare, & ipsi permanebunt in libertate, & pace. Per idem tempus mens. Aug. Henricus Imper. Rom. egreditur de Pisis versus Vrbem Romanam transiens per Tusciam ad quandam villam voluit hospitari, & ibi pernoctando intravit Balneum ad balneandum se, quod Balneum (ut creditur) veneno mixtum sibi intulit mortem. Parum ante mortem ipsius, duo Barones de curia ipsius fuerunt ordinati Capi-tanei totius exercitus Imp. & ipsi intrantes patrimonium cum exercitu cæperunt Vrbem veterem, & capita ipsa Civ. homines de Perusio cum exercitu in occurso Vrbis veteris occurrerunt defendantes Civit. de manu exercitus Imp. itaque quot, tam ex parte illorum pro parte Imp. quam ex parte Vrbis veteris, & Perusinorum ceciderunt mortui ferè tria millia virorum, inter quos D. Bindus Nob. de monte Marano occiditur. Mortuo quidem Imp. in Tuscia omnes sui milites stipendiarii, & Barones reduxerunt se in Pisis, & inde ad sua propria abire conati sunt. Hisque diebus D. Fredericus Sicularum cum XL. galeis Pisis applicuit devastando Civ. & terras D. Roberti R. Apuliae, & capiendo castra in Calabria A. D. MCCCXIII. mens. Aprilis die prima D. Clem. V. Summ. Pont. carnis debitum soluit, & sic cessavit Papatus. Eodem tempore mens. Octobris Greg. de Madiis Civit. Spal. Canonicus Spaleti in Episcopum Pharen. consecratur.



## C A P. VII.

## De Rege Roberto Apuliae, &amp; de suo exercitu galearum.

**E**t eodem anno mens. Aug. Robertus R. Apuliae congregato exercitu in omni parte apud Neapolim cum navigio suo, & galeis cepit navigare per mare vertus Insulam Siciliæ veniens ad portum Trapani ibique descendens de navigio in terram fixit sua tentoria in valle prope Civit. Trapani circumendo se muto lignatinum admodum Civit. audiens R. Fredericus R. Robertum venisse, congregatis & convocatis omnibus militibus, & Baronibus Civ. Siciliæ voluit habere consilium cum ipsis quidnam ipse esset facturus, & fuit sibi consultum, quod non iret ad prælium, sed expectaret tempus hyemale, & ita factum est: Peridem tempus in Tuscia Lucana Civitas per stipendiarios D. Imperat. existent: in Pisis, & per Pisanos, & Gibilinos fuit capta, & deprædata. Et eodem tempore in Lombardia Paduani facientes exercitum contra Vicentiam, venerunt in obsecru Vicentia, audiens D. Canis de Verona venit cum DC. militibus in obviam exercitus Paduæ, & fuit præliatus cum ipsis. Paduani vero tanquam homines devicti arripuerunt fugam versus domum suam, amissis curribus, & rebus suis: ita quod ex eis ceciderunt D. in manibus dicti Canis. Eodem anno mense Ianuarii prædictus R. Robertus reversus est Neapolim cum damno suo nihil obtinens in Sicilia de intentu suo circa Civit. Trapani.

## CAP. VIII.

## De Sancto Henrico Alemano.

**A**nno Domini MCCCXV. mens. Junii die IIX. apud Tarvisium Civ. Marchiae B. Henricus natione Alemanus ex hac vita transivit ad gloriam beatitudinis; de cuius transitu multitudo celestis Spiritus congregauit; Deum collaudantes in Throno sedentem, & dicentes Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Corpus quidem Sanctissimum in Civ. Tarvisi apud Ecclesiam Episcopatus requiescit miracula multa faciens de infirmis, qui ad arcum ipsius cum devotione accedunt.

## C A P. IX.

De Alphant filio Regis  
Majolichæ.

**E**odem anno men. Aug. D. Alphant filius Regis Majolichæ cum galeis, & navibus per mare navigans venit ad portum Clarentiæ, versus partes Romanæ habens in lignis trecentos bonos milites, & quatuor millia peditum armatorum; qui descendentes de lignis in terram cœperunt Clarentiam. Audiens Principissa Alphantem intrasle, & invaluisse Clarentiam applicuit Meduenum cum duabus galeis, & abiit ad quoddam Castrum suum, quod vocatur Belvidir, se recludens ibidem, postea venit Alphant ad pugnandum Castrum prædictum, & fuit vulneratus, amissa de suis una quantitate, fugam vertens ad partes maritimas. Principissa verò habita victoria misit nuncios ad Principem fratrem Ducis Burgundiæ, ut citò festinaret cum gente ad ipsam, qui congregans exercitum per mare habens auxilium à Venetis cum navigio approxinavat ad partes Clarentiæ.

## C A P. X.

De Roberto R. Apuliae & de  
Civitate Tuscæ.

**E**odem tempore anno, & mense Aug. D. R. Rob. pro recuperatione Civ. Lucæ, & Castrorum quæ occupata erant, per Pisanos & Gebelinos, destinavit D. Philippum fratem iuum Principem cum MD. bonis militibus, & M M M. pedit. bene armatis. Tusciam versus partes Florentiæ, qui venit ad partes Lucæ prope Castrum Montis Catini sua tentoria fixit, habens secum exercitum Florentiæ, & auxilium Civ. Bononiae Perusii, Vibeveteris Sancti Geminiani, & aliarum Civ. Tuscæ pro parte Guelpha. Tandem D. Vguncunus de Fazona Capitaneus Pilatum cum exercitu cum MCC. Teutonicis, quos habebat, tunc commune Pisarum ad Soldum, & cum Lombardis stipendiariis ipsis missis per D. Canem de Verona, venit ad campum similiter prope exercitum Florentinorum, & obsedit Castrum Montis Catini, finaliter cœperunt ambo exercitus insimul præliari, habentes Teutonici cum Francigenis bellum primum, in quo bello multi ex parte Principis corruebunt, & Teutonici victoriam habentes prævaluerunt. Postea D. Vguzonus cum suo toto exercitu videntes Teutonicos prævaluuisse,

exercitum Principis intrarunt ad pugnam cum exercitu Florentiæ, & prævaluit eos ita quod exercitum Florentiæ in fugam vertens à facie exercitus Pisarum quos persecuti fuerunt Pisani usque ad tentoria interficienes, & capientes de ipsis magnam quantitatem, & prout dicitur inter mortuos, & captivos de Florentia colliguntur XX. millia virorum, & plus, dicuntur etiam esse inter captivos de melioribus Florentiæ militibus apud Pisas circa CC. qui fuerunt estimatiad solvendum Communitati Pisani. CCCC. Florenorum auri, & D. Petrus frater R. Rob. & Principis in prælio fuit nec vivus nec mortuus repertus, sed pro majori parte dicitur mortuum esse. Damnum verò Florentinorum quod perditum fuit, cum devicti fuerunt, est estimatum per estimatores Florentiæ tam in equis, quam in denariis, quam etiam armis, & tentoriis duo millium millia Flor. auri. Mortui quidem in campo de parte Principis cum fuerit devictus, sunt hi, D. Carolus filius Principis. Item D. Charozus, Item D. Brasco, Item D. Bernardus de Monsabon, Item D. Carolus Comes de Battiflor, Item D. Carolus frater naturalis Principis, & multi alii de familia Principis milites, & Barones quorum nomina non sunt scripta, Stipendiarii Communis Pisarum habita victoria supra Florentinos donaverunt Communitati Pisarum duo millia, & quingentos equos dextrarios, quos recuperaverunt de mortuis jacentibus in terram, de parte Pisarum dicuntur esse mortua in prælio circa quinque millia virorum, & ultra semper campus, & victoria remansit ipsis Pisani.

## C A P. XI.

## De Ioanne Papa XXII.

**I**oannes XXII. in Papam apud Lugdunum creatur A.D. M C C X VI. men. Aug. Gallicus natione, hic vocabatur Iacobus, fuitq; Thelaurearius, & Cancellarius Caroli II. & postea ad petitionem ipsius promotus ad honorem Cardinalatus, ipso tunc existente Archiepiscopo Viccoli; Per idem tempus D. R. Robertus misit Siciliam exercitum suum ad devastandum Regnum Frederici vid. galeas LXXX. & M C C. milites, super quibus ordinavit Capitanum Tomasinum de Marzano & D. Ioannem Pipinum pro Consiliario. Eodem tempore apud Clarentiam Civ. Moreæ D. Alphanus filius Regis Majolichæ, qui invaserat terram Principis Moreæ, & eam injustè detinebat, fuit in prælio captus ab ipso Principe, & tunc ipse Princeps Dei iudicio moritur. Item his diebus Dominus Rex

Rex Robertus est pacificatus cum Pisaniis, recipiens ab ipsis regimen Civ. & ut dicitur, & certam quantitatem Florenorum remissis omnibus offensis factis per ipsos Pisanos contra R. & familiam Regis, vid. de morte fratri D. Petri, ac nepotis Caroli filii Principis. Item idem R. Robertus fecit parentelam cum D. Duce Austriae, accipiens filiam ipsius Ducus pro filio suo Duce Apuliae, qui Dux Austriae cum ipse sit electus in R. Rom. atque Imperatorem per electores Alemaniæ, tamen non obtinuit benedictionem Imperialem, sed in suspensiō remansit, eo quod Dux Bavariae per majorem partem electorum eligitur, & ita utraque electio suspenditur usque ad Creationem Papæ futuri, & ut dicitur quod bellum inter eos debet Imperium determinari.

## C A P. XII.

De Stephano filio Regis  
Vroscii.

Stephanus filius R. Vroscii naturalis qui ab eodem Rege multum diligebatur ut legitimus filius per suggestionem Reginæ uxoris R. à dicto Rege Patre suo capitul, & in carceribus est detentus in partibus Romaniae volente Regina, & consentiente ipso R. excæcatur lumine oculorum A.D. MCCCVII. D.R. Stephanus Rasciæ carnis debitum solvens diem ultimum suæ mortis signavit, etiam Vladislavus ipsius filius per patrum suum scilicet R. Vroscium carceratur. Eodem tempore Ferrarienses de Marchia Tarvisiana omnes gallicos quos ibidem habebat, & tenebat R. Robertus pro stipendiariis pro Ecclesia Rom. interfecerunt gladio, se adhærentes Dominio filio olim Francisci Estensis Marchionis, quem receperunt in Civ. pro eorum Domino, & Rectore contra R. Robertum, & Ecclesiam Rom. & his diebus D. C. Duymus Vegensis nobilis Bellator obiit ad Christum. Per idem tempus D. Canis de Scala, & D. Matthaeus V. Comes Mediolanensis constituerunt Vicarii generales per electores Imperatoris de Alemania per totam Lombardiam, ita quod majorem partem Lombardiae Civitatum, & Castrorum de parte Gebellina cæperunt sibi subjugantes ipsorum Dominio, & miserunt gentem suam per terram contra Ianuenses ipsius intrinsecos Gellos in subodium Gebellinorum extrinsecorum. Tandem verò D. R. Robertus Siculo-rum cum duobus fratribus suis, Principe Philippo de Civitate Tarentina, & Ioanne cum LXX. galeis, & M.D. militibus ad convocationem Ianuensem intrinsecorum, & D. Papa duxit versus Ianuam suos gressus, & stetis

ibidem per plures dies. Postea recedens exinde abiit ad Dominum Papam Veronam, quem Ianuenses fecerunt suum Dominum per decem annos, & ultra dantes, & concedentes ipso Dominum Civ. & regimen.

## C A P. XIII.

## De D. Carolo Rege Un-gar. &amp;c.

Tempore D. Ioannis PP. Anno Domini MCCCCXVIII. D.R. Carolus Vng. mortua Vxore sua filia Ducus Pol. accepit sibi in Vxorem filiam Henrici Imp. Rom. & sororem Regis Boem. quam fecit coronari in Alba corona Regali, quæ mortua est de Anno Domini M. CCC XX. & accepit tertiam Vxorem filiam R. Poloniae cui R. Poloniae per D. Papam conceditur corona Regalis.

## C A P. XIV.

## De D. Canis de Verona.

Anno D. M. CCCXXI, mens. Aug. die VIII. currente D. Canis de Scala de Verona congregato exercitu suo venit in obsidium Paduae, habens secum CM. milites bonos Teutonicos, & Lombardoos, & pedites MM. bene armatos. Paduani videntes de Civ. exercitum D. Canis veniendo contra eos, & obdidentem Civ. exierunt omnes cum exercitu foras in obviam exercitus D. Canis, cum quibus Paduanis erat Comes Goriciæ habens secum exercitum Tarvisianorum, & Vicarius per D. Ducem Stiria in Civ. Paduae erat constitutus cum trecentis bonis militibus Teutonicis, & ut dicitur, quod Paduani habebant tunc tria millia militum, & quinque millia peditum, & sic quod inter eos fuit maximum præmium, taliter quod victoria campi remansit Paduanis; D. vero Canis videns se esse devictum, fugam versus Vicentiam cum suis attivit, ita quod vulneratus vix evasit, relinquens retro tentoria Paduanis, & bene CCC. milites, qui remanserunt de suis in campo coniuncti. Per idem tempus D. Robertus existens in Curia Romana facto bello cum extrinsecis de Ianua, & D. Fredericus cum XXXV. galeis Siculorum associatis sibi XXV. galeis extrinsecorum Ian. venit in obsidium intrinsecorum Ianuæ contra R. Rob. & Ianuenses intrinsecos.

## C A P. XV.

De Origine Civium Civ.  
Spaleti.

**S**ciendum est igitur quod Civ. Spalat. constraxit originem à famosa, & antiqua, ac Nob. Civ. Salona, quæ Salona fuit tempore Trojanorum, & dominabatur totam Dalm. & Croat. usque in Vng. & dicitur per historias, & Chronicas antiquas ipsam Civ. Salona tempore sui status dedisse ad destructionem Trojanorum contra R. Priamum in subsidium Græcorum galeras armatas numero LXXII. nam Spaletum secundum veram etymologiam, & interpretationem nominis ipsius Civ. dicitur proprie Spaletum i. Salona Palatum latum, vel Salona Palatum latum à Diocletiano Imp. mirabiliter fabricatum, & ut habetur in Chronicis antiquis Rom. quod iste Imp. Diocl. ut dicitur fuit natione, & oriundus de Dalmatia id est, de Civ. Salona, & ideo in sigillo Civ. Spal. continetur versiculus (*Palatum latum Spalatum Salona quietum*) post destructionem vero Salona à Totila Duce Polonorum, Principes, Comites, & Barones, & alii milites Nob. dictæ Civ. Salona ad Insulas fugientes, & ibidem aliquo tempore permanentes; postea major pars Nob. Salona accederunt prudenter ad ædificium, & Palatum Diocletiani Imp. Rom. quod constructum erat pro Regia Aula prope Civ. Salona quod Spalatum appellare cœperunt, & ibi postmodum habitaverunt. Ex quibus Salonitanis Civibus nati sunt Nob. Spal. & ideo verè Nob. sunt, quia ex generoso sanguine procreati ortum à Nob. habuerunt: sicut fuit Severus Magnus, & alii quamplures Nob. Salonitani, & sicut Veneti, & Paduani, & alii multi Nob. habuerunt antiquam originem eorum à Trojanis, & aliis Nob. hujus orbis, de antiqua, & Nob. Civ. Salona fit mentio in jure Canonico, & in multis decretis investigatis per sapientes, similiter de dicta Civ. Salona fit mentio per Lucanum Poetam in lib. IIII. in Arenga Vulteij ubi dicit:

*Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas*

*Et tepidum in molles Zephiros excurrat Iader.*  
& iste Iader, ut habetur in Chronicis antiquis, & in libro Poetarum vocabatur flumen Salona, & quia erat deleictissima aqua & serena ad bibendum circuibat totam Civ. Salona, & consolabatur omnes ibi stantes in ea. Et usque Spaletum per conductos discurrebat, fuit impositum ipsi nomen fluvii Iader. Licet igitur quod Civ. Spaleti sit depresso in temporalibus, tamen in spiritualibus supe-

rat, & excellit omnes Civ. de Dalmatia honore, & dignitate, eo quod Archiepiscopus Spal. vocatur Primas totius Dalm. habens sub se suffraganeos suos Episcopos X. id est, Trag. Siben. Scard. Tinien. Corbau. Nonen. Segnien. Pharen. Mucaren. & Dalmat. qui tenentur ex vinculo Sacramenti obedire ipsi Archiepiscopo, & respondere Ecclesiæ Metrop. Spalat. & venire omni anno ad festum Sancti Domini ad Ecclesiam prædictam salvo justo impedimento, quia antiquo tempore Salonianorum Salona habebat suffraganeos XXIII. Episcopos omnes de Dalm. superiori, & inferiori, respondebant ipsi Ecclesiæ Metropolitanæ Spalat. & obediebant jure Metrico, sed propter invidiam Clericorum & Civium Spal. que tunc regnabat inter ipsos perdidit ipsa Ecclesia Spal. XVI. suffraganeos, & Civ. de honore sui status non modicum amissit.

## C A P. XVI.

## De Vroscio Rege Rasciæ.

**A**nno Domini MCCCXXI. mense Nov. A luce quinta currente R. Vroscius Rasciæ migravit ex hac vita, & Vladislavus nepos ejus tunc à vinculis liberatus est.

## C A P. XVII.

De Rebellione Civ. Sib. &  
Trag: contra B. Mladenuru.

**A**nno D. currente MCCCXXII. mense Ianuarii luce XVI. Civ. Sib. & Civ. Trag. unam ligam insimul fecerunt contra B. Mladenuru, & suos fratres guerram promoventes adhærendo se, & Civ. suas Communi, & Dominationi Venet. Audiens Banus Mladenurus rebellionem Civ. i. Sib. & Trag. turbatus est valde, & venit cum exercitu suo ante Sib. ubi stetit per mensem devastans campum, & culta de Sib. incidens arbores, & vineas prædict. Civit. impugnando, sed cogitans quod nihil potest prævalere contra Civ. & ipsos de Civ. offendere misit pro filiis Heliae fratribus Cosa V. Saraceno, Michaeli, & Heliae; Cosa autem frater eorum mortuus fuerat in carcere D. Bani Mladenuri, quos idem D. B. in campo prædicto fecit mori gladio, devastato quidem campo Sibenici venit cum exercitu suo ad campum Trag. ad devstandum illum, & caput devastare campum prædictum in parte. Tandem ipse Banus prævidens quod nihil potest ipsis nocere, recessit de Campo Trag. volens facere collo-

colloquium cum Baronibus de Chroatia, certi quidem Barones sui scil. filii Curiacii, filii Stephanich de Bosna, filii Mihovilovich de Clivuna, & Georgii Isani cum Comite Paulo fratre D.B. prædicti, qui sibi serviebant metu B. præfati. Eo quod erat ipsi minatum per prædictum B. Mladenum ipsos fuisse cum Cola, & fratribus suis in consilio, & juramento prout dicitur ad interficiendum B. Mladenum, & recesserunt ab eo. Contra quem B. ipsi facientes societatem insimul, promoverunt exercitum magnum adhærentes ipsos auxilio filiorum Babonig, & Banorum de Bosna, quorum auxilio venerunt cum exercitu persequentes Mladenum usque ad Bliscam. Hocfacto Trag. & Sib. cum galeis Venetorum & stipendiariis per Venetos ipsi concessis una nocte de Trag. exentes, cæperunt Almissium, & Scardonam derobantes, & comburentes domos, res, & homines, atque barcas, & ligna, quæ erant ibi ducentes secum Trag. & Sib. cum magna victoria.

## CAP. XVIII.

De Conflictu B. Mladeni per B.  
Ioannem.

**T**andem B. Mlad. videns se esse confusum, & devictum sine bello, misit C. Georgium fratrem suum ad R. Vng. ut sibi impenderet auxilium semper adhæsit amicitia, & auxilio Vlacorum & Policianorum. O Dei Clementia, quæ nullum malum permittis impunitum, nec bonum irremuneratum, ostendens in hac vita super peccatores judicium cum misericordia nolens tolerare tot mala, quæ in Regno Chroat. atque Dalmat. per Rectores, & officiales ipsius B. perpetrabantur quotidie. Nam redditus Ecclesiæ auferebant, matrimonia secundum Deum, quæ erant facta minime observabant, mulieres, & puellas Virgines violabant, mercatores deprædabant, nec non terras, & possessiones Civium maritimorum, & Dalmatinorum per vim accipiebant, & inter se per fortēm ipsi dividebant afferentes, quod nobis subjacent omnia, quæ extra Civit. sunt tam jure paterno, quam jure potentia à Deo nobis concessæ. Item obsides faciebant suspendi, & Nob. decapitari, ideo Deus, & Dominus justus Iudex nolens tanta mala commissa per prædictos tolerare, vel sustinere voluit providere degimine ipsorum & sic in brevi contra ipsos sulcitavit gentem, quæ ipsorum dominio adversaretur, & sic deficit prædictorum dominatio quia scriptum est: *depositus de sede posentes, & exaltavitis humiles.* Et est sciendum quod tantæ misericordiae sit Deus, quod non statim punit adversarios, sed sententiam diu-

distulit, ut magis homines terreatur, & revertantur ad bonum faciendum, sed prædicti Deum præ oculis non habentes commitebant quotidiè ea, quæ Deo dispicebant. Ergo non est mirum, si Deus non vult differre sententiam super ipsos, sed in brevi afferre ab eis Regnum, & dominationem. Vbi ergo est Bane Mladene potentia tua, qua pro nihilo reputabas omnes Reges terræ, ubi est sublimitas tua, qua Deum coli contemnebas, & Ecclesiam Catholicam, quoniam ordinabas Episcopos, Abbates, & Abbatissas? ubi est superbia tua, qua expoliabas, & de pauperibus (iv. Dalmatia, & Croat. volentes in pace vivere, & in jure suo permanere? ubi est discretio tua, qua plus diligebas susurtones, audire, quam bonos consultores? solebas frequentare in legendu Bibliam, sed non observabas verba Bibliæ; Ideo Deus punit te, & deponit expoliando de Regno suo. Item Ioannes Banus Babonig cum suis lequacibus persecutus est Mladenum usque Bliscam, ibi pugnam fecit magnam cum Vlacis, non modicam quantitatem bestialium hominum, & jumentorum accipiens, & B. Mladenus fugit Policum, & venit Cliffæ, ibique stetit per XV. dies, postmodum recesso exercitu Joannis Bani, & aliorum de Croat. præparavit se B. Mladenus veniente C. Georgio ire ad R. Vng. honorificè cum donis, & exeniis.

## CAP. XIX.

De Captivatione Mladeni per  
R. Carolum Vng.

**H**is diebus D. Carolus R. Vngar. apud Castrum Tinien. B. Mladenum ad se diligenter suscepit, & in comitatu suo ipsum duxit secum usque Zagrabiam habendo super eum custodiæ armatorum in fine autem auditis rumoribus de Vng. qualiter exercitus quem misserat in auxilium Ducis Austræ fuerat devictus, amissis multis equis ibidem de exercitu suo propter infirmitatem equorum ipse R. captivato etiam Mladen. B. fuit reversus in Vng. ducens secum B. Mladenum pro captivo.

## CAP. XX.

De Bello Ducis Stiræ, &  
Duc. Bavariae propter Imperium.

**A**nno DMCCXXII. D. Dux Stiræ, & Austræ, & D. Dux Bavariae scientes li; quod

quod per bellum debebat determinari inter eos electio Imperialis, ut supra dictum est, venerunt cum exercitu, & gente magna armatorum ex utraque parte ad campum, & ibi præliati sunt ad invicem. Ita quod ex utraque parte cecidit magna quantitas in terra mortuorum, & prout dicitur victoria remansit in Ducem Bavariae, & D. Austræ Fredericus remansit devictus cum tota sua gente, quidam dicunt quod mortuus est in bello, quidam dicunt, ipsum esse captivatum, & decapitatum ab ipso Duce Bavariae cum Nobb. captivis Teutonicis, quidam vero dicunt eum incarceratum, & hoc magis est credendum. Per idem tempus in Marchia Anconitana Comes Fredericus de Montefeltro ab Vrbini, & populo Vrbinorum cum filio suo capit, & decapitatur in platea Civ. Vrbini, item Civ. Racanate de Marchia à Marchione ipsius capit, & tota fuit combusta, muri Civ. & domorum per terram projecti, ita quod omnes Gebelini de Civitatibus Marchie excommunicati per Ecclesiam sunt, & expulsi in exilium. Item in Lombardia Civitate Mediolani D. Matthæus V. Comes Capitanus Imperii, & D. Mediolani fuit mortuus sub prædictis annis. Item in Croatia D. Leonardus de Spaeto Episcopus Tinien. obiit ad Christum, & frater Nicolaus Abbas S. Stephani de Pinis de Spaeto in Epilcopum Tinien. consecratur. Sub prædictis annis tota Armenia captivatur, & deprædatatur, ut dicitur per Soldanum, & Saracenos, & Stephanus naturalis filius Vroschi R. Rascia in R. coronatur.

## C A P. XXI.

## De Bello Civium Spal. cum Comite Georgio Cliffiæ.

**A**nno D. MCCCXXIII. Mens. April. XV. luce currente audiens C. Georgius quod Almissium Spalat. invasissent, caput dolere multum, & dolendo intravit campum Spaeti, & deprædatavit totam bestialiam Spalat. & tunc Spalat. occurserunt cum exercitu suo obviam C. Georgio usque Salomonam, & ultra causa defendendi bestialiam. Die vero tertio exivit exercitus Spalatinorum pulsatis Campanis ad Martellum foras de Civ. Spalat. ad persequendum, & offendendum C. Georgium, & suam gentem, & persecuti sunt eum ultra Salomonam ad flumen venientes propè Cliffiam cum exercitu magno circa MCC. hominibus armatis. Tandem ipse C. Georgius ira repletus videns gentem Spal. egredientem, & gradientem contra eum sine modo, & ordine, & quasi separatum unum ab altero, tremuit ut Leo, & irruit super eos, & percussit exercitum ipsorum, & in brevi spatio confixit eos, & Spal. videntes se con-

flictos in fugam versi sunt ad Civ. Spal. & obfuerunt devicti. de quibus fuerunt mortui & capti circa CL. inter quos fuerunt plures Nob. Civ. Spal. O Spalatini insensati, quid credebatis de assensu vestro invadere Castrum Cliffiæ, & capere C. Georgium, nesciebatis quia anno præterito alias Civ. Dalm. cum Venetis modicum honorem obtinuerunt recedentes exinde cum damno, & verecundia. O sensus Spal. puerilis, non cogitabatis cum respiciebatis Castrum in altum existens in rupibus magnis, quod à Tartaris tempore R. Belæ minimè offendetur, & per vos jam captum esse videbatur, quarenon cogitabatis præterita, & statum præteriorum in quibus omnes de Dalmat. de statu tranquillo, & pace vestra invidebant, & vos tanquam amentes, & inanes in uno iœtu, & parvo momento statum, & consilium antiquorum vestrorum perdidistis, volentes, esse Comites, & Barones, subjugando Provinciam Regalem sub dominio vestro: Iuxta verbum Sapientis; Væ tibi Civ. cuius R. puer est, & Principes manè comedunt, & vae tibi terra, ubi pueri dominantur, & senes deficiunt, & tunc mutabitur puer contra senem, & ignobilis contra Nob.

## C A P. XXII.

## De Egreg. Illustri, &amp; Generoso Viro D. Nicolao de Vng. Duce, ac Bano Mag. Dalm. &amp; Chroat.

**E**odem tempore, & millesimo annis prædictis Meni. Aug. X. luce currente Mag. & potens V. Dominus Nicolaus Nob. de Vng. per Carolum Regem Vng. mittitur ad partes Dalm. & Chroat. in Banum, & Dominum, qui veniens cum magno exercitu Vng. & Cummanorum transivit per partes Chroat. ad suam voluntatem sine aliqua læsione. Verumtamen quod transitus ipsius Bani à principio impeditabatur, per Ioannem Babonig, & suos nepotes, ita quod in ipso transitu cuim paucis ad istam partem transtivit existente ipsius filio Ioannis Babonig ad Custodiam, & cæteri Vngar. qui cum Bano erant transiverunt cum toto exercitu suo, & percusserunt, ac confixerunt exercitum, qui erat ad custodiam Ioannis Babonig. ibi quosdam captivaverunt, & quosdam interfecerunt, & cæperunt circa CCC. equos. Postea facta pace cum ipsis, & recipit eos ad gratiam intravit Chroatiam, & venit in campo Carnam, ubi omnes de Chroat. & de Civ. Dalmat. ad se convocavit, & venit Spal. ubi fuit honorificè, tam à Clero, quam à Nob. receptus. Recedente Bano Nic. de Dalmat. & Chroat. direxit gressus suos versus Vng. Tunc omnes Barones de Chroat. insimul colloquium fecerunt cum Venetis, & Civibus de Dal.

de Dalmatia, in quo multa ordinarunt contra Regem & Banum, per Regem missum: Tunc putantes resistere potentia Regali, & ipsis per eum missis in Chroat. consilium malignum, & perversum quid cogitatis de Rege vestro Carolo, qui ad petitionem vestram vos à potestate tyrannica liberavit deponens B. Mladenum de Banatu Dalm. & Chroat. ipsum i[n]cacerando \* facientes vobis Priv. vestrarum terrarum vobis libertatem concedendo. Nunc autem minime cegnoscentes beneficia vobis à dicto D.R. exhibita à gratia ipsius separare voluistis, alteri dominio adhaereo. O Servi Servorum, servientes Vng. quare non consideratis potentiam Regalem vestri D. Regis naturalis, quam ipse habet in Regno Vng. & Poloniae, nesciebatis quod ipse potens est in Curia Romana, & fecit velle suum de ipsa, potens est in Regno Franciae, Siciliae, & Apuliae, & respondentib[us] ad ipsius mandata Duces Austriae, & Stiriae, & R. Bohemiae ipsius sunt causa propinquitatis, & cognationis, & per Ovidium Epistolarum scribitur:

*An nescis longas Regibus esse manus.*

Vbi ergo est sensus vester, & memoria quod in uno isto posset vos & omnes vestros consutores, & in brevi sicut deflctio vestra propter infidelitatem vestram, quam videbitis cito in partibus Chroatiae & Dalm. Veniet igitur Leo rugiens ex Aquilonari parte versus partem meridianam trahens caudam suam post se maximi exercitus, & innumerabilis gentis diversarum linguarum, & circuib[us] vos, & gentem vestram, nec non totam Provinciam, ita quod à flatu Leonis peribitis, id est à facie R. in ore gladii exterminabimini, nec fugam attipietis, quia undique ira R. super vos veniet.

### C A P. XXIII.

#### De Conflictu C. Georgii Cliff. per Nilipitum, & Georgium Voy- vodam.

Dicitur N. C. Georgius sub A. D. currentibus MCCCXXIV. men. Iunii hinc VII. congregato exercitu diversarum partium Sclavorum tam de Comitatu Cliunae, quam de Banatu Bosnae, & etiam de Policio habens secum LXXX. equites, & pedites venit Tininium in Topolie, ibique hospitatus est expectans exercitum Comitis D. Frederici Segniensis, & Iadrensum. Ibi paululum stando ecce Com. Cetinae D. Nelipat, & Georgius Mihovilich Voyvoda cum CCC. militibus benè præparatis ad bella contra prædictos obviauit, irruens in eos, & percussit taliter exercitum Comitis Georgii, quod ipse C. penitus remansit devictus, & alii Sclavi, qui cum ipso erant, & illi verò de Bosna

fugient atropuerunt. Ita quod Comes Georgius fuit captus, & incarceratus cum Bajamonte, Bubana, & aliis Baronibus suis, & multi viri fuerant mortui, & expoliati nudi sine numero. O Comes Georgi, quid cogitabas si superavisses, & prævaluisses C. Nelip. & Georgium B. Chroat. & Dal. ordinari per Iad. & destruere Spaletum hoc contra R. Vng. & Ducem Ven. procedebatur, quia conabar is erigere Bajamonte in magno statu, qui inimicabatur, & persequebatur Ducem, & commune Ven. secundo putabas destruere Civ. Spal. & auferre Almissium, & habere ad velle velutrum. Ubi eslet cursus, & locus p[er]ratarum; Ille Deus, & Sanctus Dominus destruxit te, & reduxit te ad vinculum carceris, ubi peccata tua defreas, quæ committebas contra Spal. & effundebas sanguinem super ipsos; si memineris C. Georgi annorum præteriorum & temporis C. Domaldi. de Clyuna non offendes Civ. Spal., quia ipse Domaldus olim existens in Castro Clissiae caperat circa XX. Nob. de Spaleto, ut habetur in Chronicis Spal., & propter hoc sibi male accidit, & finaliter quod captus in suo lecto, & Castro Clissiae prædicto, & ductus Spal. super Salmerium tonsis Crinibus de capite cauila vituperii, & derisionis, petens siquidem religionem Trag. viliter moritur. Vnde Seneca dicit:

*Ab alio expelta quod alius feceris.*

Et ideo cavendum est altercari cum Civitatibus, quibus offendendi potest.

### C A P. XXIV.

#### De Pace Comitissæ Clissiae & Spalaten.

Accedit Nno D. MCCCXXV. mens. Martii die X. Pax inter Dominum Com: Vx. Com. Georgij tunc ipso Comite existente apud Nilipitum in carcere, & Cives Spalati per Iadrenses arbitros facta, & composta est, ita quod captivi, & incarcerati Spal. qui detinebantur Clissiae sunt liberati, & relaxati pro quibus civitas Spal. fuit obligata in certa quantitate pecunie dare, & solvere.

### C A P. XXV.

#### De Archiepiscopo Baliano Spal. olim Arch. Rodis.

Accedit Nno D. MCCCXXV. mens. Aug. die VIII. Balianus Archiepisc. Spal: intravit Spalatum per Summ: Pont: Consecratus, & confirmatus. Hic oriundus de quadam Civ. Baruth in

Li 4 parti-

partibus ultramarinis propè Acon. Civ. famosam, quæ destruxit per Saracenos tempore D. Nicolai Papæ IV. & prædictus Balianus fuerat olim Archiepiscop. Insulæ Rodis propè Cyprum, quam tenent fratres hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quæm Balianum Archiepiscopum D. Papaloannes XXII. ad instantiam Magistri Hospitalis Insulæ Rodis ab illo loco removit, & eum collocavit in Ecclesia Spal. inter quas constitut. ordinavit quod omnes Canonici, & Clerici in obsequiis mortuorum vadant induiti cottis albis, & Canonici cum beretis in capitibus similiter ad divina in Ecclesia mandauit stare in prædictis cottis, & beretis.

---

C A P. XXVI.**Obitus Bonæ Memoriæ D. Baliani.**

**A**nno D. MCCCXXVIII. obiit prædictus D. bon. mem. Archiepiscopus Balianus de millesimo prædicto de men. Ian. XXVIII. & sepultus est in Ecclesia Sancti dominii Spal. ante maius altare. Per idem tempus sub eisdem annis devicti fuerunt Florentini à Lucanis, ita quod D. Colstruccius, & D. Filius Galinæ de Mediol. cum gente Pisarum quam habebant in auxilium super Florentinos victoriam habentes cæperunt ex ipsis magnam quantitatem. Et eodem tempore Bononienses fuerunt devicti à Perusinis, & Mantuanis, ita quod capti, & mortui fuerunt de Bonon. plures. Eodem anno paulinus Episcopus Scardon. & filio Marcio de Breberio fuit mortuus gladio.

---

C A P. XXVII.**De Obitu Episcopi Nuceriae S. Augustini nativi de Trag.**

**I**tem supradictis annis AVGUSTINVS olim Zagrabien. Episcopus qui fuit per D. Ioannem Papam à dicto Episcopatu remotus ad petitionem R. Vng. & collatus in Ecclesia Nuceriae in Apulia in Episcopis ad instantiam D. R. Roberti Apuliz, & sic obiit ad Christum de MCCCXXIX. cuius corpus multa miracula ostendit super iis, qui cum devotione ad ipsum accedunt; Hic fuit oriundus de Dal. de Civ. Trag. & fuit frater Prædicator. ordinis Sancti Dominici humiliis.

---

C A P. XXVIII.**De Michaz B. Dal. & Chroat. missio per Carolum R. Vng.**

**A**nno D. MCCCXXVII. D. Michaz B. pro parte R. Vng. habitis castris filiorum Babinig intravit Chroat. associato sibi Stephano Bosnensi Comite cum exercitu suo, & D. C. Frederico Vegensi, quem Banum omnes de Chroatia recipientes ipsum pro D. & B. & venerunt ad ipsum cum donis, & exeniis, qui habito castro Vnac, verius Iadram direxit gressus suos, ubi honorifice à Iadrensis fuit receptus. Finaliter videns se quod habere non potest suum intentum de Castris Chroatia abiit in Vng. ad R. relinquens in Bichaz aliquantulum de gente sua. Per idem tempus men. Maij. R. Iphbertus Siculorum misit exercitum suum fratrem suum Ioannem, & Com. Novellum Siciliam ad devastandum omnes segetes, vineas, & arbores, & alium exercitum misit Tusciam i. in Florentiam contra Lucanos, & Pisanos, nec non & Gebelinos s. filium suum Ducem Carolum, & C. Thomasium de Msano. Item R. Aragonum eodem tempore misit filium suum cum ducatis lignis armatorum Sardiniam, quam (ut dicitur) cepit eam, & tenet pro sua A.D. MCCCXXVII. Civ. Spalati obtulit se dominio D. Ducas & Communati Venetorum & habuerunt Communem ab ipsis Ven. cum pactis semper observando honorem R. Vng. & libertatem Civ. Spaleti.

---

C A P. XXIX.**De Obitu Caroli Duc. Apuliz Filii R. Roberti.**

**C**arolus R. Roberti filius Apuliz migravit ad Christum sub A.D. currente MCCCXXVIII. Item sub eisdem annis quidam Baro de Vng. nomine Merz exemitensem volens interficere R. Carolum Vng. & amputavit D. Reginæ IV. digitos manus suæ, qui Mericus statim interficetus fuit coram R. et D. MCCCXXX. Sol obscuratus est illo tempore medio die, & factus est opacus, & obscurus, ut luna VIII. patiens eclypsim omnibus de Orbe patentibus manifeste

**IN-**